

Eκθ.

§. I. **I**n Alloquio ad Protestantes ita pergitur: *Differunt in eo, quod A. C. Theologi ajunt, attributa divina, omniscientiam, omnipotentiam, omnipraesentiam, adorabilitatem humanae naturae communicata esse; Reformati vero ajant, ea non naturae humanae communicata esse, cui ista attributa nunquam competere possint, ast personae quidem Christi communicata esse. p. 8.* Neutra vero pars concedet Allocutori, mentem suam, prout res ipsa requirit, fuisse hic propositam. Quod enim nostrae Ecclesiae doctrinam concernit, longe ea illustrior est, & profundiori mysterio gaudet, ac dissensus circa multo plura dogmata in hoc articulo, & major quidem, elucescit, quam ut hac sola propositione comprehendatur. Quorsum vel sola *universalitas meriti Christi* referri potest, quae tamen a Reformatis adeo animose hodiernum impugnatur, & nihilominus hic sicco plane pede transitur, quasi in hac controversia parum momenti situm sit, aut saltem in verbo negotium *non satis liquide fuerit definitum*, prout Allocutor se tandem frigide satis explicat p. 10. cum tamen ad articulum fundamentalem constitutum pertineat, ut infra apparebit. Deinceps etiam, quod speciatim doctrinam *de Christi Persona* concernit, admitti nequit, *dissensum ad hoc unum caput de communicatione majestatis ad H. N. revocari debere.* Nam notum est, quomodo se habeant errores Reformatorum I. circa doctrinam *de actu & statu unionis personalis*, ubi nunc *assumptio humanitatis in Deitatem*, nunc *Communicatio vera & realis hypostaseos*, ut & *naturam inter se*, aliaque plura, ex verbo Dei confecta, negantur. II. Circa doctrinam *de primo genere Communicationis Idiomatum*, ubi *ἁλλοίωσιν* suam ZWINGLIANAM, & fictitiam *Synecdochen* ubique intermiscunt. III. Circa doctrinam *de tertio genere Communicationis Idiom.* ubi *apotelesmata ad divinam naturam restringuntur*, carne in sola *societatis vel organi ἁέργης*, nisi quod humanas *ἐνεργείας* concernit, dignitate relicta,

ut